IOANNIS BAPTISTAE CAMOTII ORATIO DE ANTIQVITATE LITERARVM,

AD PHILIPPVM VASTA-VILLANVM CARDINALEM.

Cum licentia Superiorum.



ROMAE, Apud Hæredes Antonij Bladij, Impressores Camerales, M. D. LXXV.

PHILIPPO VASTAVILLANO CARDINALI ILLVSTRISSIMO ET AMPLISSIMO S.

QVONIAM maieſtas & amplitudo Principũ ad Dei Opt. Max. poteſtatem propius accedit: quòd is incognitæ naturæ procul ab aſpectu noſtro res hominum regit & mundũ hunc uniuerſum: hi uero præſentes in terris leges ferunt, hi rebus diuinis atque humanis tuẽdis cõſeruandisq; præſunt: meritò quidem facta & dicta eorum latere non poſſunt, quòd in oculis omnium uitam agunt. Quum igitur recenti hoc tempore in collegium Patrum ampliſsimorum cooptatus ſis ab auunculo tuo Gregorio XIII. Pontifice Max. tota ciuitas ac potius Chriſtiana Reſpublica uniuerſa gaudet uehementerq; lætatur: ad Patres, qui clariſsima Eccleſiæ lumina ſunt & ornamenta, te quoque aliud lumen & ornamentum acceſsiſſe: idq; à ſummo Pontifice rectiſsime ac ſapientiſsime factum arbitrantur: ꝙ te Cardinalatu ornatiſsimum eſſe uoluerit, & in Patrum numero poſuerit, Eccleſiæq; maieſtati conſuluerit atque proſpexerit, ea tribuens ornamenta, quæ & ſenatui & tibi duxit ampliſsima, & quibus dignus iam inde à prima adoleſcentia uidebare. Vt enim bona corporis atq; fortunæ, quæ fluxa caducaq; ſunt, ſilentio prætercam, quibus tamen etiam ipſe plurimum

 præ-

præstas: tria in te potissimum omnes intuentur & admirantur, quæ summi Principis personam decent, primum morum & ingenij suauitatem eximiam atque singularem, orationemq; benignam: qua te facilem, & cuiq; charum ac iucundum præbes: quà ue summorum hominum, mediocriũ, & infimorum beneuolentiam ad te allicis. Tum animi naturam sublimem atque excelsam, beneficam tamen adeo & benignam: ut omnibus præsentia aspectuq; tuo in miserijs suis & incommodis non dubiam spem afferas te futurum quasi portum ac perfugium calamitatum suarum. tum etiã grauitatem tanta cum humanitate cõiunctam: ut inter principes princeps, inter summos summus, par uero tenuioribus humanitate esse uidearis. Illud autem summæ tuæ prudentiæ & pene diuini iudicij est, quemadmodum ex te auditum multi testantur, sic existimare: ornamenta, quæ ad te à summo Pontifice proficiscuntur, ea familiæ uestræ Pontificiæ, monumenta sempiterna extare: atque omniũ uirtutũ genere abs te muniri oportere uiã gloriæ & salutis tum apud homines, tum apud Deum, & cuiq; charum esse, bene de Christiana Rep. mereri, laudari, coli, diligi, hanc ueram & solidam pietatẽ gloriamq; esse. cætera potius inania uirtutis insignia non uirtutem ipsam esse neque dignitatem. sic enim obtines Cardinalatum in amplissimo Patrum ordine, ut omnium oculos in te unum cõiectos arbitreris, ut te dignitatemq; istam quasi in uniuersi orbis terræ theatro uersari existimes: ut omnia semper, quæ cæteris iucunda uidentur esse, & quibus etiam humana uita delectatur, tuæ tamen naturæ ac necessitati deneges: habeasq; rationem, quid à Pon-

tifice

tifice, quid à Patribus Amplissimis acceperis, tibi sacrarum ædium ac viarum procurationem, tibi publica pauperum hospitia in vrbe, tibi Xenonas, Ptochotrophia, Orphanotrophia, & Gerontotrophia in vrbe, tibi postremo omnes diuinas atque humanas religiones sanctissime colendas & tuendas esse commissas. quæ tamen omnia tibi cum cæteris Patribus communia esse intelligis. Is honos tametsi tibi iucundissimus est, tamen nequaquam tãtum capis uoluptatis, quantum sollicitudinis & laboris, ut hæc ipsa dignitas, non quia necesse fuerit alicui etiam alij candidato data, ut dari potest à summo Pontifice, sed, quia sic oportuerit, rectè apud te collocata, & iudicio Patrum digno in loco posita esse videatur. itaque quum sit illustris notaque omnibus amplitudo tua, me quoque præter cæteros tanto erga te amore studioque obseruantiæ incendit: ut pictores fictoresque præclaros imitatus, qui signa ex ære uel marmore, qui tabulas atque opera m inuum suarum summo artificio elaborata tibi dona afferunt, & poetas, qui carminibus celebrãt laudes tuas, ego quoque orationem de Antiquitate literarum in æde Eustachij à me nuper habitam, literisque consignatam sub tuo nomine apparere uoluerim, signum mei erga te amoris, atque obseruantiæ perpetuæ testem futuram. Quam tamen edere ausus nunquam fuissem, nisi summa studiosorum hominũ cupiditate expeti cognouissem. Tu interea opibus & amplitudine tua tenuitatem meã sustenta. & Camotium summus Patronus humilem clientem tuum in fidem recipias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

DE ANTIQVITATE LITERARVM.

QVVM sit ortus homo ad agendum & contemplandum; ad agendum, quod constat ex corpore; ad contemplandum, quod ex animo, qui rationis ac potius diuinitatis est particeps: eum omni ope niti decet, omniq; cogitatione in id incumbere, ut perfectam ac beatam uitam agat; quę quidem in virtute solum ac rerum diuinarum humanarumq; contemplatione consistit, quæ sola fœlicitas animi ducitur. Ad quam ut etiam sapientissimi quidam mortales ante usum literarum usque à prima mundi origine peruenerint, quemadmodum Indi & Assyrij, quemadmodum Aegyptij atq; Caldæi gloriabantur; & Athenienses, qui se cũ sole genitos arbitrabantur; & Arcades, qui se ante Lunam natos asserebãt & Delphi, qui se statim à diluuio fuisse cõtendebant; & Scythæ Phrygesq;, qui cum Aegyptijs de Antiquitate certabant: tamen uere eam sine literis & interprete & sine doctrina homines cõsequi uix aut nullo pacto possunt. Quocirca quum in hanc cellam sancti Eustachij sapiẽtiæ doctores singulis annis frequentes conueniant, ut de literis uerba faciant, atque hoc anno mihi huius prouincię munus obtigerit; faciendũ esse duxi, ut, quomodo disciplinæ ac primordia literarum & Academiarum per seriem quandam ad hanc usque diem peruenerint, paucis dissererem. Vos rogo omnes, ut benigne attenteque audiatis: quum me quasi à principio mundi exordientem, & uetera secla reuoluentem, ingenti pelago uela dantem, saluum & incolumen in portum peruenire cupiẽtem, magnus non solum labor, sed etiam timor ac famæ periculum excipit, qui tanta promissa reipsa prętare possim, simul

&

& temporum antiquitatem ante conspectum uestrum constituere; Tamen humanitate fretus ac beneuolentia uestra, rem tantam aggredior, chronographos tum ueteris tum recentis memoriæ sequutus. Quippe falsi sunt ij, qui res ante bellum Troianum gestas pro fabulosis habent; quasi ante ea tempora non extiterit etiam mundus, non secula uiguerint, non ætates fluxerint, & plęræque artes etiam floruerint. Namq; inter eos, qui primordia mundi duce spiritu Sancto reuoluerũt, illud satis constat; mundi huius quasi magni cuiusdam animantis ortum, incunabula, & infantiam, pueritiam & adolescentiam fuisse; senectutem quoque ac decrepitam ætatem quandoq; futuram. Itaq; posito primo homine Adamo, huius uniuersi temporis, quod simul cum reuolutione mũdi peragitur, septem ætates esse communi consensu decreuerunt. quas recensere ad rem minimè arbitror pertinere. Reijciantur tantum Assyriorum Aegyptiorumq; rationes, qui se quadringenta septuaginta millia annorum literarum monumentis comprehensa habere gloriabantur. Nos sacris literis fidem habeamus. Eluuiones exustionesq; terrarum statis quibusdam & certis temporibus in hoc mundo, quasi in magno animante fieri; sapientissimi homines prodidere, quibus usum literarum, bibliothecas, scientias, & artes mortalium quàm plurima aboleri, quis ignorat? Qua opinione adducti alij sapientes, ac Sybillarum oraculis persuasi, quum aquarum fluxiones, atq; eluuiones terrarum quasi diuinitus euenisse animaduertissent; deflagrationem etiam quandoque futuram affirmarunt. Et iam unam insignem sub Phæthonte extitisse omnes intelligunt. quasdam etiam fortasse in alijs fuisse partibus terrarum diuersis uerisimile est: quę tamen scientiam nostram effugerunt. Cęterum spatio tot annorum millium facile uidere est; usus literarum quantopere cum ipsa penè antiquitate mundi contendat. Vt enim huiusce rei rationem altè repetã;

ab

ab initio mundi Seth ex Adamo humani generis principe genitus, literas ipsas à Deo natas summo honore prosequutus est, id, quod ab Adamo primo parente factum fuisse; nemo est, qui dubitet. Is enim omnium uirtutum studiosus fuit, suiq; similes filios reliquit, qui filij Dei uocati sunt. Quum is autem ex Adamo patre doctissimo & sapiētissimo accepisset, duas fururas omnium rerum terminationes, unam per eluuionem; alteram per deflagrationem, ut modo dicebamus; filijs suis utranque prędixit. Filij ne artes suo studio laboreq; inuentę obliuione delerentur; eas geminis in columnis, una lateritia, altera lapidea, conscribendas curauerunt: ea gratia & consilio, ut bonę artes, scientię, atq; disciplinę in perpetuū conseruarentur. Enochus inde uir diuinus ab hominum conspectu sublatus est, postquam prius quamplurima literarum monumentis consignasset. à quo deinceps etiam latius literarum primordia sunt ducta. Huius studia filij ac nepotes sequuti ipsi quoque literis & omni doctrina ornatissimi fuerūt: atq; ea, quæ de rerum cœlestium disciplina perceperant, cum cęteris bonis artibus in columnis scripta posteritati tradiderunt. Nochus deinde post spatijs temporū interiectis, vir omnium optimus, sanctissimusq; fuit in terris, bonis prędituis disciplinis, quas à maioribus suis acceperat. Hunc solum cum coniuge ac liberis & cum eorum uxoribus, ac speciebus terrestrium & uolatilium animantum deus optimus maximus, facta totius orbis terrarum eluuione, arcę inclusum esse iussit incolumem, saluumq; uoluit. Inter huius nepotes Nembrothus omniū, quos terra sustinet, audacissimus extitit, uenator dictus. Is etsi itidem ut gigas uir impius turrim sublimem contra deum cœlum uersus extruxit: Astrologiæ tamen Geometrięq; rationem, ac mundi dimensionem omnem complexus literarum monumentis consignauit. Colonijs quoq; per orbem terrarū missis signorum cœlestium rationes homines docuit: & cultum

tum agrorum reftituit. Inde Caldæi, Babilonij, & Aſsyrij, partitis linguis, ſua uetere cõmuniq́; retenta, propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, quum cœlum ex omni parte patens atq; apertum intuerentur; traiectiones motusq́; ſtellarum obſeruauerunt: quibus notatis, quid cuiq́; ſignificaretur, memoriæ prodiderunt. Itaque iure ſe omniũ mortalium antiquiſsimos fuiſſe, ac rerum cœleſtium diſciplinas ſe primos literarum monumentis comprehendiſſe glorian*tur*. Ea propemodum ætas tulit Zoroaſten, qui magicam diſciplinam omni literarum ratione complexus dicitur. Sicui deinde inſequentem ætatem introſpicere cordi eſt, is plane comperiet apud ſeculum quoque illud ſummo in pretio fuiſſe literas. quas omni ſtudio proſequutus eſt Abrahamus uir doctiſsimus ſapientiſsimusq́ue habitus, qui apud Caldæos uitam egit Deo omnipotenti gratiſsimus & acceptiſsimus ob pietatem & iuſtitiam ſuam. Is ob aciem ingenij geometriæ perfectam rationem poſteris tradidit. Semiramis eius tempeſtatis fœmina potentiſsima, Nini uxor, uſum literarum tumulo ſuo ijs uerbis expreſsit. Si quis rex Babyloni pecunijs egebit; aperto tumulo, ſumat, quantum uelit. Sin minus egebit, nequaquam aperiat. Darius aperuit; & lapide reuoluto, alias literas offendit ad hunc modum ſcriptas. Niſi extra modum pecuniæ auidus fuiſſes, tumulos mortuorum non aperuiſſes. Phoroneum inde fama & auditione accepimus poſt eluuionẽ orbis terrarnm primum leges iudiciaq́ue conſtituiſſe. Atlantem aſtrorum rationem inuentam perfeciſſe: & hac de cauſa cœlum humeris ſuſtinuiſſe. ab hoc Herculem aſtrologiam percepiſſe. Subiere proxime Moſes amicus Deo, & Cecrops Athenienſium rex: qui trecentis annis ante bellum Troianum fuerunt. Moſi Deum opt. max. leges tabulis lapideis inſcriptas dediſſe, ac literas id temporis Hebræos potiſsimum habere cœpiſſe, & Cadmum ex Phœnicia literas Græcas in Hel-

lada transitulisse, & Carmentam nympham hinc Nicostratam latinas latio intulisse; ex historijs accepimus. Subiere inde Troiana tempora. post quæ spatijs exiguis interiectis uiri literis doctissimi floruerunt, Linus, Amphion, Zetus, Apollo, Musæus, Orpheus, Chiron, Alcæus, Aesculapius, Liber, Mercurius, Hesiodus, Homerus. Hi uiri omnes literis summum honorem tribuerunt. Sarron quoq; primus regnantibus Assyrijs inuentus est. qui ad cohibendam ferociam eius tempestatis hominum, publica apud Celtas studia literarum instituerit. Quo tempore Osiris ea, quæ ad colendos agros pertinẽt, orbe terrarum peragrato, mortales docuit. Athenienses Cererem fuisse contendunt. Osiris columnam suis monumentis inscriptam reliquit. quem morem Persarum & Romanorũ imperatores tenuerunt, ad memoriam rerum perpetuo conseruandam; sicut in Vrbe hodie duas insignes columnas conspicimus. Mox inde apud eosdem Celtas Bardus carminibus, musicaque inuenta summam claritudinem sibi parauit. Malot Tages ritus sacros à Iano traditos & aruspicinam auxit disciplinam; Omniaque à Iano tradita literis mandauit. Aureos & pulcherrimos mores Saturnus in latiũ induxisse dicitur: à quo Saturnij antiquitus uocabantur ij, qui Capitolium incolebãt, atque ætatem illam auream à poetis celebratam; ꝙ uitia, fraudesq;, ac doli abessent. Sed de Ethruria disciplinæ auguralis & aruspicinę principe illud sileri non potest; tabulam Cybellariam appellatam ante Homeri tempora primam literis græcis inscriptam fuisse: Ethruscosque nunquam nisi bello uictos literas græcas recipere noluisse. Salomonem ijsdem quasi temporibus apud Hebręos sapientissimum habitum, primum fuisse, qui scripta sua nomine proprio inscripserit. quem cęteri eiusdem gentis scriptores sequuti uidentur. Sancti quoque uiri munus prophetiæ tum uoce, tum literis prosequuti fuerũt. Quin etiã pleraq; Apollinis & Sibyllarum oracula græcis literis

ris edita memorantur. Regnante post Auentino Latinorum rege, Lycurgum sapientissimum iura Lacedemonijs dedisse accepimus. Mox imperante Romulo, olympiadem primam institutam; proditum est: inter quam & Troiam incensam anni ad quadringentos intercesserunt: Quibus temporibus Aeschylus floruit: ac cæteris Græciç scriptoribus fides haberi cępit, quę antea nulla habita fuerat. Non desunt authores; ante Ianum patrē inuentas iam fuisse literas apud Babylonem urbem, ubi literarum usus antiquissimus reperitur. Ex qua parte potissimum & regione mundi tum gentium, tum linguarum diuortia sunt facta per totum orbem terrarum. Itaque circa initia Nini regis literis ac legibus iam informati imbutiq; Germani erant a Tuscone gigante, & Celtę à Samote, & Celtiberi à Tuballe: qui populi patres literarum ac philosophiæ se fuisse gloriantur ante gręcos amplius mille annis. Florente autem Grçcia Thales Milesius philosophia, & Eumelus arte poetica, & Sibylla Erithręa diuinatione insignes celebrantur. Numa Pompilius literis ac religione potiusquam armis Vrbem muniuit. Et Grçcię sapientes subiere, tum qui philosophiam, tum qui leges latas literis consignarunt. Quibus temporibus Ste:psicorus poeta, Alcman, Sappho, Simonides, Phocylides, Anacreon Lyricus, Xenophanes, Pherecydes floruerunt. Hac prȩsertim tempestate, Apollinis oracula se aperuerunt regnante Crȩso. Factum inde est, ut expulsis Vrbe regibus, Pythagoras silentij amator in magna Grecia apparuerit: qui se primus omnium philosophum appellauit. quo tempore Hipparchus & Hippias Athenis principatū obtinebant, sed quoniam ad id loci nostra iam prouecta est oratio, quo philosophi Athenis florere cæperunt; non ab re esse arbitror; quot philosophorum sectæ post Pythagorā fuerint, paucis attingere. Igitur philosophorū sectę à septem causis nomen suū sortitę sunt. uel ab eo authore ac principe, qui sectā

 ipsam

ipsam instituit, ut Pythagorici & Platonici. uel ab eius patria, qui illi sectę authoritatē dedit, ut Cyrenaici philosophi ab Aristippo, & Megarici ab Euclide, Eleatici à Xenophane & Parmenide. uel à loco, ubi phisosophabātur, ut Academici & Stoici. siue casu, ut Peripatetici, qui ambulādo disputabāt. aut ab inita ratione philosophādi, ut Ephectici, qui à Pyrrhone sunt. uel à proposito sibi fine, ut Hedonici Epicurei. uel à ratione cultuq; uitę, ut Cynici. aliud. n. finis is est, quē philosophi spectant. & aliud ratio ac genus uitæ, quē sequūtur. Aetas inde ac tempus tulit magnā scriptorū copiam apud gręcos, post eiectos Vrbe reges, consulibus factis. ex quibus insignes memorātur Pindarus, Sophocles, Herodotus, Heraclitus, Anaxagoras, atq; Ezdras clarus scriptor apud Hebręos, & legis diuinæ doctissimus. Ptolemæo inde in Aegypto regnante Plancus Gallus rhetoricā disciplinā in hac urbe primus latinorum edocuit. diuersæq; Academiæ & scholæ literarū uarijs in locis gentiū caput extulerunt. & bibliothecę institutæ sunt Athenis, Rhodi, Hierosolymis, Alexandrię, in Vrbe. Et Sylla subacta Gręcia Aristotelis uolumina Romam transtulit. Latini scriptores græcos imitati extitere cōplures, Ennius, Plautus, Cęcilius, Terētius, Piso, Valerius Antias. Quibus successere Iulius Cęsar, Cicero, Sallustius, Cato, & Varro. Virgilius, Horatius. & alij complures, quos nominare nō necesse habeo. Sed Iulius Cæsar in Galliam citeriorem misit quingētos uiros summo splendore, summaq; doctrina & elegantia uitæ. Bibliothecæ memorabiles celebrantur, Tyrānionis atq; Gordiani, Sed fama oēs antecedūt, in Asia Attali Eumenisq; bibliothecæ. Alexādrię Ptolemęi Philadelphi, Athenis Pisistrati, Romę Augusti, Asinij Pollionis, & Vlpij Traiani, & Pāphili Cęsariensis. nostris tpibus Vaticana. & pleræq; aliæ, quas recensere longi negotij foret. Vsum deniq; literarū tanto studio quasi à primordijs mundi amplexæ sunt gētes oēs ad perpetuam rerum memoriam retinendam atq; conseruan-

dam

uam ; ut Brachmanes Indiæ populi antiquitus literas non ceris nec libris, sed in sindonibus fullatis coloribus effingere consueuerint. Babilonij coctilibus lateribus mores, leges atq; instituta tradere. Phęnices atq; Aegyptij animaliũ figuras pro literis lapidibus insculpere. à quibus ꝓfectus Cadmus literas Gręcię intulit, quibus ipse prętfuit. Sicut Asyrijs pręfuit Rhadamãthus. Aegyptijs deinceps Memnõ & Anubis. Phrygibus Hercules. Latinis Carmẽta, siue Nicostrata & Pelasgi. Qui uero perfectas notas literarũ primi ediderint in lucẽ manifestã; Simonidẽ & Berosum authores tradũt. Nõnulli Asyrios fuisse docẽt, quibus ego ualde assentior. alij ad Ionas rem transferũt. Duo uero literarũ genera fuisse comperimus, unũ quotidianũ & usitatum : alterũ, sacrũ, interius, & reconditũ ; sicut etiam geminus sermo est. unus, quo uulgares; alter, quo egregij & liberales homines utũtur. Sacræ & interiores literę propriè sacerdotibus adscribuntur. ut Aethiopibus et Arabibus, qui perplexo scripturę genere utũtur. ut Aegyptijs, qui ꝑ animaliũ figuras et arcanas notas scribẽtes à dextra desinũt in sinistrã. quẽadmodũ etiã Hebręi Caldęiq; faciũt, contra quã nos Latini Gręciq; facimus. qui scribẽtes à sinistra in dextrã tendimus. ut Brachmanibus apud Indos. ut Magis apud Persas, qui solẽ uenerabãtur. ut ex Gręcis, ijs, qui theologi sunt dicti. ut Cabalistis apud Caldęos. ut Druidibus apud Gallos, qui Solẽ et Lunã quasi numina colebãt. ut Auguribus et Aruspicibus apud Romanos, et prius apud Ethruscos. ut Scythis, qui Apollini. ut Aegyptijs, qui Adonidi et Isidi et Serapi. ut Carthaginiensibus, qui Ioui et Saturno sacra faciebant. Quinetiam Pythagorici ac dęmones gentium per ænigmata et symbola sensa et consilia mentis explicabãt ; itemque Sibyllę et prophetę. Deniq; apud ferè omnes mortales sacerdotes ipsi sacro et recõdito genere literarũ; quotidiano & usitato, populus ipse. ornato et eleganti ornati et elegantes homines utuntur. De doctoribus autem et philo

sophis

loſophis diuinus Plato publice in ſcholis legi cœpit. eiuſq; le ctio et interpretatio uſq; ad Seueri et Antonini tẽpora permãſit integra: Quibus ſane temporibus Alexandrię Soſigenes, Herminus, ac deinde Alexander Aphrodiſienſis primi omnium, quod ſciam, omiſſo Platone, publicè Ariſtotelem interpretari profeſsi ſunt. Cuius lectio uſque ad noſtram ętatem publicis in orbis terrarum gymnaſijs integrà retinetur conſeruaturque. quę publica literarum gymnaſia & ſcholæ ſtatutis ſtipendijs Doctoribus claruerunt; ut Quintiliano Domitiano Principe, & ſi ab eodem imperatore philoſophi & mathematici urbe eiecti ſunt. Adrianus inde Athenis bibliothecam mirãdi operis extruxit. Pręter cęteras uerò artes Romanis eloquentia ſemper curę fuit. Siquidem Victorino Rhetori ſtatuam in foro Romano poſitam legimus. quod Phauorino & Polemoni quaſi factum eſt. Tantus rhetoricę diſciplinę in Vrbe ſemper attributus eſt honor. Romani enim, ut omnes plane ſciunt, duabus rebus, armis & eloquentia, ſubegere cunctas nationes. Itaque uerbum illud Ciceronis facio uerum; duas eſſe artes, quę poſſunt locare homines in ampliſsimo gradu dignitatis; unam, imperatoris; alteram, oratoris boni. Si quis igitur dicendi artem profitetur, is grauiſsimam mihi perſonam ſuſtinere uidetur. Quod ſiquis ueſtrum ſcire cupit, quibus temporibus liberalium artium doctores eſſe cœperint, Auguſto Principe cœpiſſe uidentur. nemini enim de iure reſpondere licebat, niſi cui eius authoritate & gratia permiſſum eſſet. Id quod poſtea Tiberio, Claudio, & Adriano Principibus unicuique liberè pręſtabatur, qui iuris ſcientiam habere profitebatur. Sed res ipſa poſtea Athenis magis frequentari cœpit Iuliano principe. Is enim uir impius & chriſtianorum hoſtis acerrimus, cęteroqui omni literarum genere pręditus, lege lata, ne chriſtiani liberalium artium doctores eſſent; per gratiam tamen Prohęreſio Athenienſi ſophiſtę ſcientiæ inſignia

conceſ-

concesserat. Quæ uir doctus & christianus optimus neglexit, scholamq; deseruit. Sed sciẽtię insignia paruo post spatio interiecto, ut ueterũ fama acceptum est, maiori authoritate approbata fuerunt Bononiæ à Theodosio imperatore & à diuo Petronio Bononiensi episcopo. Ij enim in Gallia citeriore eodem tempore; unus, studijs & sanctitate; alter imperij maiestate floruerunt. Ita postea studia bonarum artium & consuetudo insignium afferendorum tum in Italiam & Galliam; tum in Hispaniam Germaniamque fertur introducta; quum prius Athenis, ubi uerò literæ florebant, sumpsisset initium. Sane illud constat; à Caroli magni temporibus studium Lutetijs Parisiensium sui initium duxisse ope atque auxilio Alcinij, qui Carolum magnum literis instituerat. Quum autem per annos fere septingentos Græcæ literæ in Italia quasi desertæ obsoleuissent; Vincislao imperante Chrysoloras earũ disciplinam retulit in Italiam, easque renouauit. Neque uero quenquam uestrum ignorare arbitror; pleraque uolumina ex Italicis bibliothecis per causam bellorum ex Italia ab exteris gentibus, quæ agere ferreq; cuncta uastando, transportata fuisse in Galliam ulteriorem & maxime in Germaniam; ubi pleraq; adhuc uolumina manuscripta reperiuntur. Ita renouato usu græcarum literarum, magna inde quoque copia græcorum scriptorum & authorum frequentari cœpit. Simul & philosophia, necnon etiam studia cuiuscunque generis literarum indies longius processerunt; quoad ad hanc usque ætatem labenti tempore peruenerunt. quam uerè ætatem nostram sine dubio affirmare possumus non literis solum, sed etiam omnium artium disciplinis ita florere; ut cum antiquitate ipsa certare atq; contendere iure posit. His enim temporibus neq; Græci neque Latini scriptores desunt, neque interpretes aut in qualibet arte doctores & insignes quidem. Et quæ primæ post literas habentur pingendi fingendique artes atque facultates eò claritu-

dinis

dinis peruenerunt, ut nec Apellem, nec Phidiam, neu Lysippum quasi desideres. In communi igitur huius seculi lætitia lætari licet, nos optimis temporibus natos esse, quibus bonæ artes & literarum studia uigent. Quæ si etiam intermortua aut intermissa uiderentur; studio tamen, cura, diligentia Gregorij XIII. Pont. Max. reuiuiscere & reuocari possent. Sicui enim Pontifici optimæ disciplinæ earumque cultores cordi fuere unquam; huic certe Pontifici nostro tantæ curæ esse perspicimus: ut illud uerè una uoce menteque & dicere & sentire posśimus, non male actum iri apud posteros; si quo in statu hodie sunt Gregorio XIII. Christianam remp. administrante, in eodem quoque apud posteros futurę sint. Cui Pontifici nostro simul & huius Academiæ principibus patribusque amplisśimis Ioanni Morono, Aloysio Cornelio, Gulielmo Sirleto, Francisco Alciato, Philippo Boncompagno; & Francisco Sansonio rectori nostro, uiro integerrimo ac philosopho doctisśimo ea gratia, ut hac perpetua fælicitate uti posśimus; uitam diuturnam in terris à Deo optimo Max. optare debemus.